



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

50. Christus benedicit, & multiplicat panes.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

42. ACTA CHRISTI

II. Cùm sublevâssset ergo oculos Iesus, & vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat, quid esset factururus. *Ioan. 6. v. 5. & 6.*

III. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. Dicit ei unus ex discipulis eius, Andreas frater Simonis Petri: Est puer unus hîc, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces: sed hæc quid inter tantos? *Ioan. 6. v. 7. 8. 9.*

MEDITATIO L.

*Christus benedicit, & multiplicat panes.*

I. **D**icit eis Iesus: Quot panes habetis? Ire, & videte. Et cum cognovissent, dicunt: Quinque, & duos pisces. *Marc. 6. v. 38.* Non habemus hîc nisi quinque panes, & duos pisces. Qui ait eis: Afferte mihi illos huc. *Matth. 14. v. 17. & 18.* Et præcepit illis, ut accumbere facerent omnes, secundum contubernia super viride scœnum. *Marc. 6. v. 39.* Erat autem scœnum multum in loco. *Ioan. 6. v. 10.* Ait ad discipulos suos:

Faci-

Facite illos discumbere per convivia quinquagenos. Et ita fecerunt. *Luc. 9. v. 14. & 15.* Et discubuerunt in partes per centenos & quinquagenos. *Marc. 6. v. 40.* Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque milia. *Ioan. 6. v. 10. Luc. 9. v. 14.*

II. Et cum iussisset turbam discumbere super fœnum, acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, aspiciens in cœlum, benedixit, & fregit panes, & dedit discipulis suis, ut ponerent ante eos: & duos pisces divisit omnibus. *Matth. 14. v. 19. Marc. 6. v. 41. Luc. 9. v. 16.* Accepit ergo Iesus panes; & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus: similiter & ex piscibus quantum volebant. *Ioan. 6. v. 11.*

III. Et manducaverunt omnes, & saturati sunt. *Matth. 14. v. 20. Marc. 6. v. 42. Luc. 9. v. 17.* Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite, quæ superaverunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his, qui manducaverant. *Ioan. 6. v. 12. & 13. Luc. 9. v. 17. Matth. 14. v. 20.* Sustulerunt reliquias, fragmentorum duodecim cophinos plenos, & de piscibus. *Marc. 6. v. 43.*

I V. Erant autem, qui manducaverunt, quinque millia virorum, *Marc. 6. v. 44.* exceptis mulieribus & parvulis. *Matth. 14. v. 21.* Illi ergo homines cum vidissent, quod Iesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum. *Ioan. 6. v. 14.* Et statim compulit Iesus discipulos ascendere in naviculam, & præcedere eum trans fretum (ad Bethsaidam, *Marc. 6. v. 45.*) donec dimitteret turbas. *Matth. 14. v. 22.* Et cum dimisisset eos, abiit in montem orare. *Marc. 6. v. 46.*

## MEDITATIO LI.

*De ambulatione Christi super aquas.*

I. **C**ompulit Iesus discipulos suos ascendere in naviculam, & præcedere eum trans fretum ad Bethsaidam, donec dimitteret turbas. Et dimissâ turbâ, ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto, solus erat ibi. *Matth. 14. v. 22. & 23.* *Marc. 6. v. 45. 46.*

II. Et cum serò esset, erat navis in medio mari, & ipse solus in terra. *Marc. 6. v. 47.* Mare autem vento magno flante, exurgebat. *Ioan. 6. v. 18.* Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus. *Matth. 14. v. 24.*

III.